

trigoni sphaeralis  $FAB$ , duo latera  $FB$  &  $FA$ , & angulus  $B$  rectus nota sunt, igitur angulus  $FAB$  notus. Angulus autem  $TAC$ , propter punctum  $A$  notum, & tempus datum ex 45. secundi notus erit, quare residuus  $TAB$  notus, quare etiam angulus  $TAK$  notus fiet. Trianguli itaque  $TAK$ , duo anguli  $A$  &  $K$  noti, & latus  $TA$  notum ex 43. secundi, igitur &  $TK$  notum. Sed  $GT$  est quarta arcus, ergo  $GTK$ , scilicet, quantitas anguli  $GHK$  notus. Ideo trianguli  $AHM$ , angulus  $H$  notus. Sed &  $AM$

notum, quia complementum  $TA$ , & angulus  $HAM$  notus, quia aequalis angulo  $TAK$ , quare arcus  $HM$  notus fiet. Sed etiam in triangulo  $CAM$  latus  $CA$  notum, & angulus  $M$  rectus, & angulus  $MAC$  notus, quia aequalis  $TAB$ , quare latus  $MC$  notum fiet. Sed iam notus fuit  $HM$ , constabit igitur arcus  $CH$ . Ex prima autem secundi libri notus est  $OC$ , quare arcus  $OH$  notus, qui quarebatur.

*Libri sexti Epitomatis finis.*

**CL. PTOLEMAEI**  
ALEXANDRINI, IOAN. DE MONTE REGIO, STELLARUM fixarum, Motus uariabilitatem, tam in Longitudine quam in Latitudine, demonstrando enucleat,  
Liber VII.

*Quod stellae fixae zodiaci non modo inter se, uerum etiam ad eas quae extra zodiacum sunt, stellas distantiam inuariatam habeant, experimento docere multiplici. Propositio I.*



Uod huic rei testimonium adduci potest, non est nisi a parte Abrachis. Nam ipse ante se paucas admodum de stellis fixis considerationes obseruatas reperit, eas, uidelicet, quae fuerunt Arfatilis & Timocarís, tales quidem quibus tute credi non poterat. Figuras tamen stellarum ad inuicem, tam earum quae in zodiaco sunt inter se, quam earundem ad eas quae extra sunt, quas ipse Abrachis cognouit & scriptas reliquit, adhuc hodie inuariabiliter man-

fuisse uidemus. Dixit enim quod stella in labio meridiano Cancrí, & stella lucida quae antecedit caput hydre, & stella lucida in cane antecedente, sunt ferè secundum rectitudinẽ, nisi quod media earum tendit ad meridiem digito uno & medietate digiti, & longitudines inter eas ferè sunt æquales. Item earum quatuor quae sunt in capite Leonis, duae orientales, & stella ante caput hydre sunt in recta linea. Item quae est super cauda Leonis, & ea quae super cauda Ursae, extrema & lucida sub cauda sunt ferè in linea, nisi quod media & orientior à linea per digitum unum. Item linea quae recta